

Libri precationum,
S. franciscus Xavierius.

Fomenta pietatis in Do-
rum franciscum Xa-
verium.

Calvisii Typ. 1. f. 1677.

THEOLOGIA.

N. 1705

FOMENTA PIETATIS

In Divum

FRANCISCVM

X A V E R I V M

Indiarum Apostolorum

Societatis I E S V

In Gratiam Eorum

*ubi eius ambiunt clientelam. Me-
lani prius Italicè; denuò Græ-
cii Latine, recens verò recusa*



C A L I S S I I,

typis Collegii Societatis IESV.

Auno Domini 1677.

❦❦❦❦❦❦❦❦❦❦

COMPENDIUM VITAE
S. FRANCISCI
X A V E R I I
S O C : I E S V .

FRANCISCUS XAVERIVS, in Xa-
verio Diœcesis Pampelonensis,
nobilibus parentibus, totius Or-
bis Christiani bono editus, S Igna-
tio sese comitem & discipulum
junxit. Mortuus semel mundo,
ut viveret semper Christo. car-
nem biduanis triduanisq; jejuniis,
cruentis flagellationibus, acuta
ferreis clavis zonâ, hausto non
semel è morbidorû ulcerib⁹ pure,
ita Spiritui subegit; ut quamvis
non esset Spiritus, Spiritu, tota a-
gere-

geretur. Virginitate integerrima,
laboribus indefessa; Nubes vola-
tilis potius quam caro, & umbra
Spiritus, continuo amore DEI, &
proximi, bullientis, non onus.
Missus cū Apostolici Nuntii Po-
testate in Indias, Apostolica mu-
nera incredibili penē labore exā-
tavit. Sanctitate pariter ac mira-
culis vere Apostolicus, adeoque
Apostolus Indiarū, oraculo Gre-
gorii 13. in Bulla Canonizationis
Anno 1622. omni merito appel-
latus. Difficillimis barbararum
gentium linguis, subito ac divini-
tus imbutus: uno insuper Idio-
mate loquens, à diversissimis na-
tionibus intelligebatur. Currebat
per provincias Nudipes, confixis,
atq; contusis nō raro pedibus ba-

julus ipse Sacerdotaliū indumen-
torū, & librorū divinatorum, quo
pene modo plusquā centū millia
Milliariū in causa Evangelii emē-
sus. Servus sua sponte ductori vi-
arum barbaro addictus, eā alacri-
tate animi, præeunte equitem se-
quebatur pedes; ut interdū ma-
nibus ad equū appensis, seu rue-
ret in terrā, seu violenter raptare-
tur, iter perageret. Vaticinia edi-
dit innumera, signo crucis falsum
edulcoravit, exarmavit mare pre-
cibus, pluit oratione Cineres, pro-
fligavit invocato Numine, barba-
rorū exercitus: idem eodē tem-
pore geminis, & longissimè distitis
locis, periclitantibus adfuit. Cum
Insulam Moro ingressus, primū,
à Concione audiretur, concussa
terra,

terra, rugitusq; ac voces dæmonū
auditæ: Tu nos peruris FRANCIS-
CÆ; tu regno pellis. In solo Ma-
lacensi Episcopatu, octingenti mi-
raculosè sunt sanati, viginti quin-
q; mortui suscitati, nec adhuc o-
mnes cogniti. Fide, Iaponiæ, Mo-
lucis, Amboino, aliisq; Provinciis
vastissimis invec̄ta, cum magnos
Principes, Regesq; &c. cōplures,
ac cū iis vigesies Centena Millia
populi, manu propria baptizasset,
præ gaudiorū cælestium felici in-
fûsorū, multitudine; SATIS EST
DOMINE, SATIS EST, sæpè ex-
clamare auditus: laborib⁹ & pro-
ximorū saluti procurandæ, satis
nunquā dicere voluit. sed conti-
nuo zelo anhelans, Sinarū imper-
via regna intrare contendit: Vn-

de ex Insula Sanciano die 2. Dec:
ad laborū præmia evocatus. De
mortui cadaver, viva calce per
multos menses bis obrutū, sed pe-
nitus incorruptū, odore & sangui-
ne manavit. Idem cum per Mare
in Indias reveheretur, scopulus
navi imminens, certū Naufragiū
Nautis ostentabat. Sed invocata
XAVERII ope, effectū admirabili-
ter, ut non scopulus navim, sed
navis scopulum finderet, atq; fis-
sum illæsa trāsiret. Molucæ quo-
q; ad adventum mortui, pestis sæ-
vissima confestim sedata, tot de-
niq; atq; tam varia miracula, à
XAVERIO passim, in illis regioni-
bus edita, ut ex Cōmuni sensu: Si
XAVERIVS Miracula non faceret,
pro miraculo haberetur.

Mor-

Mortuus Anno D. 1652. initæ
Societatis 13. ætatis suæ 55. In
Sanciano. Sinarū Insula. Feria 6.
Decemb: die 2. A Sanctissimo D.
N. Gregorio 13. an: 1622. Martiū
12. in Sanctorū Numerū relatus.

*Observanda iis, qui proficere vo-
lunt in cultu erga*

S. FRANCISCVM XAVERIVM

1. Effigiē Christi Crucifixi ve-
neratione prosequi; hæc enim pa-
tiēte aliquid molesti in Indiis Xa-
verio; stillabat sanguinē qualibet
feria 6ta in domo paterna.

2. Assiduē DEUM pro conver-
sione infidelium deprecari.

3. Frequenter pro animabus in
Purgatorio DEUM rogare.

4. Solicitum pro conservanda
illibata puritate vigilare.

5. Pro

5. Pro viribus suis in obsequia
& auxilia proximi incumbere.

6. Crebro confiteri, & consci-
entiam per examina, non secus ac
pro morte discutere.

7. Sæpe Evangelicum illud ani-
mo recollere: Quid prodest ho-
mini, si uniuersum mundum lu-
cretur, animæ vero suæ detrimē-
tum patiatur?

8. Quandoquidem Actionibus
supradictis tota S. Xaverii vita re-
dundat; conuicti ad ejus imitatio-
nē, easdē sibi reddere familiares.

9. Agere, ut promoveatur eius
cultus, & veneratio, manifestan-
do gratias per eum acceptas, &
confitendo nostram versus ipsum
obligationem.

OFFI-

OFFICIUM
S. FRANCISCI
XAVERII S. I.

Ad Matutinum.

Domine labia mea aperies. Et
os meum annuntiabit &c.

Deus in adiutorium meum &c.

Domine ad adjuvandum &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

In flore vitæ, Xavier,
Spretis honorum fascibus
Spebusq; stirpis patriæ,
Ad cæli amores vertitur.

Sacri calore Spiritus,
DEO parata victima,
Ignatianis æstuans
Totus liquefcit ignibus.

O vita

O vita I E S U cordium

Fac, ut caduca deserens,

Te, sorte quam concesseris,

Mea mens requirat unicum!

Antiph. *Egredere de domo tua,
& de cognatione tua, & de terra
Patris tui & veni in terram, quam
monstravero tibi. Gen: 12.*

*Inveni filium Iesse, virum secun-
dum cor meum. Qui faciet omnes
voluntates meas. Acto: 13.*

O R E M V S.

D E V S, qui Evangelium Regni
tui, per barbaras gentes, & re-
conditas nationes, S. Francisci
tui Xaverii prædicatione semina-
sti, & ejus sanctitatem innumeris
hactenus miraculis decorasti: cō-
cede quæsumus; ut cujus memo-
riã agimus etiam virtutes imite-
mur. Per Dominum &c. *Ad*

Ad Laudes.

Deus in adiutorium &c.

Hymnus.

Exegit omnem laudibus,
Amoribusq; Numinis,
Inter secunda, & aspera,
Vitæ diem Xaverius,
Seu manè Sol assurgeret,
Seu conderetur æquore;
In ore DEUS infederat,
In corde IESVS vixerat.

Mea, DEVS, ô felicitas!
Fac, ut (quod olim gestio,
Amare te perenniter)
Dum vivo, totus ordiar.

*Antiph. Quid mihi est in celo &c
à te, quid volui super terram?
Deus cordis mei, &c pars mea Deus
in æternum. Psal: 71.*

Lau-

Laudabitur usque ad mortem.
Anima mea Dominum. Eccl: 51.
Oratio ut supra.

Ad Primam.

Deus in adiutorium meum &c.

Hymnus.

Misertus orbis ultimi,
Xaverius caliginem,
Ab Occidentis finibus,
Emergit instar Cynthii,
DEVM ferebat pectore,
Feris docendum gentibus,
Apostolus deperditæ,
Iterum futurus Indiæ.
IESV salus mortalium!

Ita fac amare proximum,
Ut ab hoc amore, Curia
Adaugeatur Cælitum.

Antiph. Ite Angeli veloces ad gē-
tem expectantem, & conculcatam;
qui di-

qui diruperūt flumina terrā Isa. 18

Dedi te in lucem gentium.

Vt sis salus mea usq̄ ad extre-
mum terræ. Isa. 49.

Oratio ut supra.

Ad Tertiam.

Deus in adiutorium, &c.

Hymnus.

Miraculorum gloriā,

Apostolatus infulis,

Et gentium præconis,

Vbique magnus Xaver.

Suo tamen suffragio,

Postremus unus omnium,

Cujuslibet solatiis,

Se dedicat Xaverius.

O qui superba conteris,

Iesv humilium sublimitas,

Tuo ex amore despici,

Fac, ut frequenter expetam.

B

Antiph.

Antiph. *Ante Dominum qui ele-
git me, vilior fiam plusquam factus
sum: Et ero humilis in oculis meis
Et gloriosior apparebo. 2. Reg: 6.*

Omnibus omnia factus sum.

Vt omnes facerem salvos. 1. Cor: 9

Oratio ut supra.

Ad Sextam.

Deus in adiutorium, &c.

Hymnus.

O Virginem Xaverium?

Et sanguinis caloribus,

Erroribusq; gentium,

Et somniis superstitem?

Hinc castitas post funera

Vetuit malam putredinem

Intacta semper lipsana

Xaverii contingere.

O Diva IESV puritas?

O Matre nate Virgine,

Da

Da labe sine, me consequi,
Quà ductor Agnus iveris!

Antiph. *o quam pulchra est cæ-
sta generatio cum claritate; Im-
mortalis est enim memoria illius;
quoniam apud Deum nota est, &
apud homines. Sap: 4.*

*Hi sequuntur Agnum quocunq̃
ierit, Sine macula enim sunt ante
thronum Dei. Apoc: 14.*

Oratio ut supra.

Ad Nonam.

Deus in adiutorium, &c.

Hymnus.

Vastæ remotas Indiæ,
Plagas obit Xaverius,
Lojola sed vel literâ,
Si iusseris revertitur.

Nec sol, ut promptissimus,
Vel stare, vel recurrere,

C 2

Volens.

Volente iussus Numine,
Telis resorbet orbitam.
Exordientem Nominis,
Agnosco IESV literam,
Opto per hanc cum legibus
Dei placita decurrere!

Antiph. *Audi Fili mi, disciplina
patris tui, Et ne dimittas legem Ma-
tris tue, ut addatur gratia capit
tuo, Et torques collo tuo. Prov. I.*

*In capite libri scriptum est de me.
Ut facerem voluntatem tuam Deus
meus. Psal: 36.*

Oratio ut supra.

Ad Vesperas.

Deus in adiutorium, &c.

Hymnus.

Cecidère monstra Tartari,

Idola pulsa gentium,

Fide instituti Iapones,

China

Chinæ reclusa littora.

Vicina quin & funera,

Et quinque vitæ reddita:

Pulsis tot orbe pestibus,

Francisce, Numen evocat.

Iesu laborum præmium,

Mercede major maximâ:

Conando quidquid gesserô,

Te, Te in coronam postulo.

Ant. Cum ipso sum in tribulatione: eripiã eum, & glorificabo eum: longitudine dierũ replebo eũ: & ostendã illi salutare meum. Psal. 90

*Nimis honorati sũt amici tui Deus
Nimis confortatus est principatus
eorum. Psal: 138.*

Oratio ut supra.

Ad Completorium.

Deus in adiutorium &c.

Hymnus.

C 3

Fran.

Francisce iam cælestium,
Divis recepte sedibus,
Dignare te colentium,
Piis adesse mentibus.

Omnes per orbem, gloriæ
Tuæ eriguntur symbola:
Per te impetratæ gratiæ
Ubique stant insignia.

Eous, & Septemtrio,
Meridies, & Occidens;
Et istæ, & ille plurimis,
Tibi calet clientibus,

O perditorum temporum,
Francisce, spes amplissima!
Orbis Pater novissimi!
Patrone, lux, Apostole.

Salve, tuoque lumine,
Tuos serena simplices:
Fac, Mundus omnis ardeat,
Divini amoris Numine,

Fides

Fides ut una gentium,
Fines inundet omnium;
Ut una pax cælestium,
Cor jungat, & terrestrium.

Antiph. *Hic est fratrum amator,
& populi Israel, qui multum orat
pro populo, & universa Sancta Ci-
vitate. Mach: 2. c. 13.*

*Ora pro nobis S. Franciscæ Xaveri
Ut digni efficiamur promissionibus
Christi.*

OREMVS.

DEVS, qui Evangelium Regni
tui, per barbaras gentes, & recõ-
ditas nationes. S: Francisci Xave-
rii prædicatione seminasti; & ej⁹
sanctitatẽ innumeris hætenus mi-
raculis decorasti: concede quæ-
sumus ut, cujus memoriã agimus,
etiã virtutes imitemur. Per Do-
minum

minium nostrum IESVM Christum
Filium tuum, &c.

LITANIÆ
AD S. FRANCISCVM
XAVERIVM.

Ex iis.

*Quas Illustrissimus Dominus D. F.
Casparus de Villaroel. Episcopus S.
Iacobi Chilensis, & Regie Hispaniarum
Maiestatis à Consiliis, in honorem
Sancti, quod eius patrocinio inter rui-
nas ex terra motu iam sepultus, sal-
vus tamen evaserit, gratitudinis ergo
concinnavit ipse & stas ex voto die-
bus recitavit, ac etiam deinde in pu-
blicum aliorum bonum typis evulgavit*

KYrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Christe audi nos
Christe exaudi nos. Pater

Pater de cælis DEVS, miserere
nobis

Fili Redemptor mundi Deus, mi.

Spiritus Sancte Deus, mi.

Sancta Trinitas unus Deus, mi.

Sancta MARIA, Ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix, ora.

Sancta Virgo Virginum, ora.

Sancte Pater IGNATI, ora.

Sæcte FRANCISCÆ XAVERI,

dignissime, & dilectissime Fili

S. P. Ignatii. ora.

S. Franciscæ Xaveri Indiarum

Apostole, ora.

S. Franciscæ Xaveri Evangeli-

zans pacem, ora.

S. Franciscæ Xaveri Evangeli-

zans bona, ora.

Vas electionis portans Nomen

Jesu coram gentibus, ora.

Vas

Vas redūdās Divinæ Charitatis, o
 Firmamentū Oriētis Ecclesiæ, o.
 Propugnator Fidei, ora.
 Impugnator infidelitatis, ora.
 Prædicator Evāgelicæ veritatis,
 Idolorum destructor, ora.
 Electū à Patre æterno instrumē-
 tū propagandæ Divinæ gloriæ, o
 Fidelis imitator, & Socie: Iesū
 Christi Filii Dei, ora.
 Tuba resonans S. Spiritus, ora.
 Columna Templi Dei, ora.
 Lux Paganorum, ora.
 Magister credentium, ora.
 Speculum veræ pietatis, ora.
 Dux in via virtutum, & Christia-
 næ perfectionis, ora.
 Exemplar Apostolici Spiritus, &
 sanctitatis. ora.
 Lumen cæcorum, ora.
 Pe

- Pes claudorum, ora.
 Auxiliator naufragantium, ora.
 Salus ægrotorum, ora.
 Fugator Dæmonum, ora.
 Vita mortuorum, ora.
 Cujus potestati obediunt mare,
 & tempestates, ora.
 Cujus imperia venerantur uni-
 versa elementa, ora.
 Prodigiorum Thaumaturge, ora.
 Refugium miserorum, ora.
 Gaudium afflictorum, ora.
 Orientis splendor, ora.
 Pignus resurrectionis ad vitam
 gratiæ, & gloriæ, ora.
 Tabernaculum incorruptionis, o.
 Ærarium Divini Amoris, ora.
 Gloria Societatis I E S U, ora.
 Legate Apostolice Romanæ Se-
 dis. Pauperrime Xaveri, ora.
 Castif-

Castissime Xaveri,	ora.
Obedientissime Xaveri,	ora.
Humillime Xaveri,	ora.
Crucis Christi, ac laborū pro Chri- sto cupidissime Xaveri,	ora.
In salutem proximi vigilantis- sime Xaveri,	ora.
Suavissime Xaveri,	ora.
Gloriosissime Xaveri,	ora.
Animarū, & Divini honoris Ze- lator ardentissime,	ora.
Angele moribus, & vitā,	ora.
Patriarcha affectu, & studio, cu- randi populum Dei,	ora.
Propheta dono, & Spiritu,	ora.
Apostole dignitate, & merito,	o.
Doctor gentium, potens in multi- fario sermone & opere,	ora.
Confessor virtute, & vite pro- fessione,	ora.

Virgo

Virgo animo, & corpore, ora.
In quo uno omnium Sanctorum
merita, ex Divinâ benignitate
veneramur.

Agnus D E I qui tollis peccata
mundi, Parce nobis Domine.

Agnus D E I qui tollis peccata
mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus D E I qui tollis peccata
mundi, Misere nobis.

Christe audi nos, Christe exaudi.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. *Pater noster, &c.*

Et ne nos inducas in tentationē,
Sed libera nos à malo.

Ora pro nobis S. Franc: Xaveri.

Vt digni efficiamur promissio-
nibus Christi.

O R E M V S.

DEVS, qui Indiarū gentes, Beati

D

F R A N -

FRANCISCI Prædicatione, & mi-
raculis Ecclesiæ tuæ aggregare
voluisti: concede propitius; ut,
cujus gloriosa merita veneramus
virtutum quoq; imitemur exem-
pla. Per Dominum nostrum Iesum
Christum Filium tuum, &c.

*Oratio S. Francisci Xaverii
pro persecutoribus.*

Tursel: vitæ l. 5. c. 8.

Domine Iesu Christe, Deus
cordis mei, per acerbissimos mor-
tis tuæ cruciatus, obtestor te, ut
intuearis tuas ipse cicatrices &
vulnera, quæ Patri tuo assidue
pro nobis exhibes, eaq; salubria
esse velis omnibus persecutorib⁹
nostris, ut resipiscant.

*Aspirationes S. Franc: Xaverii
morientis. IESV!*

IESU. IESU. Fili David miserere
mei. Tu peccatorū meorū mise-
rere. Mater Dei memento mei.
Monstra te esse Matrem. IESU
Deus cordis mei. In te Dominō
speravi, nō cōfundar in æternum.

AFFECTVS.

Amantis Animæ.

S. FRANCISCI XAVERII.

O Deus! ego amo Te.

Nec amo Te, ut salves me;

Aut: quia non amantes Te,

Æterno pūnis igne,

Tu, Tu, mi IESU, totum me,

Amplexus es in Cruce:

Tulisti Clavos, Lanceam,

Multamque Ignominiam.

Innumeros Dolores.

Sudores & Angores,

Ac mortem; & hæc propter me,

Ac pro me peccatore :

Cur igitur non amem Te,

O Iesu amantissime ?

Non, ut in cælo salves me ?

Aut ne in æternum damnes me ?

Nec præmii ullius spe.

Sed, sicut Tu amasti me,

Sic amo, & amabo Te.

Solum quia Rex meus es ;

Et solum, quia Deus meus es.

*Aspirationes eiusdē Sancti quotidi-
ana ex Vita S Epist. excerptæ.*

Iesu Christe Fili Dei vivi, da
hoc nobis, ut te super omnia
diligamus.

Da nobis Domine sanctissimæ
voluntatis tuæ perfectè sempera-
gnoscedæ & adimplendæ gratiã.

Non nobis Domine, non nobis,
sed Nomini tuo da gloriam.

Quis

Quis mihi det, ut ego moriar
pro te, & cognoscant te omnes
fines terræ. (plus.

Amplius Domine cruciari am-
Deus cordis mei & pars mea
Deus in æternum.

Satis est Domine, Te si habeam,
satis est.

Domina opitulare! Sanctissima
DEI Parens, cæli Regina, quæ
quicquid oras Filium, semper e-
xoras, esto Advocata nostra.

Aspirationes eiusdē inter dormiēdū

Relat. pro Canoniz. p. 19.

Mi IESV! dulcis IESV!

O IESV bone! O Creator mi!

ZELVS SALVTIS

ANIMARVM.

*Ex Orat. S. F. Xaveri, quæ habe-
tur apud Lucenam. l. 5. c. 5.*

D 3

Me

Memento clementissime rerū
omnium conditor Deus ani-
mas infidelium, hæreticorum, &
peccatorū à te solo creatas, quas
ad imaginē, & similitudinem tu-
am fecisti, ecce Domine in op-
probriū tuū his ipsis quotidie im-
plentur inferni. Memento preti-
osi sanguinis, & amaræ mortis,
quam pro iis ultrò suscepit Iesus
Christus unigenitus tuus. Recor-
dare lacrymarū, suspiriorum, &
vulnerum ejus. Ne permittas ul-
tra Domine, eundē dilectū Filiū
tuum à paganis & peccatoribus
denuo crucifigi, & ostentui habe-
ri. sed precibus electorū tuorum
placatus, fac ut infideles, hæreti-
ci, & peccatores omnes agnoscāt,
diligant, æternūq; glorificent
te, &

te, & quem misisti IESVM Chri-
stum nostrum, pro quorū omniū
salute ego me totum, meaque o-
mnia divinæ Majestati tuæ offe-
ro, & devoveo.

Confiteantur tibi populi DEVS,
confiteantur tibi populi omnes.
Omnis terra adoret te, & psallat
tibi.

*Ordinaria pia opera erga S. Xave-
rium singulis mensibus.*

*Opportunum fuerit singulis pri-
mis feriis sextis cuiuslibet mensis,
sacra synaxi accumbere, ac ieiuni-
um eiusdē diei stabile offerre Deo,
cum dictā communione, pro ani-
mabus Purgatorii, quæ peculiari-
ter affici erga Sanctū consueverūt.*

*Proderit deinceps, quāvis tertiā
Dominicā mensis, coronam Bea-
tissima*

*tiſſimæ Virginis recitare, aut ſacro
Miſſæ ſacrificio intereſſe, ſupplicā-
do pro conuerſione gentium in ſuper-
Communione qua forte feriâ ſex-
tâ minis commodâ accideret, eo-
dem Dominico peragere.*

Singulis Hebdomadis.

*Feriâ ſexta cuiuſlibet hebdoma-
dæ, conducet inuiſere templum S:
Apoſtolo dedicatum, aut altare,
recitando eo in loco decies Pater,
decies Ave, & decies Gloria Patri,
recolendo memoriâ annorum de-
cem quos pro ſalute proximi in In-
diis impendit; factaque intentione
orandi pro omnibus, Sancti huius
Patroni honorem fideliter, ac ſoli-
citè procurantibus.*

Singulis diebus.

*Singulis diebus licebit cui uis ter
deuotè*

devotè promittere sequentia: *S.*
Francisce Xaveri ora pro nobis, ut
digni efficiamur promissionibus
Christi. Commodius fortè accides
ista dicere. Primò, cum electo sur-
rexeris; secundo, vespere priusquàm
decumbas; tertio, sub horam vige-
simam primam, qua *S.* Christus, *S.*
Sanctus tuus Patronus obierit.

Extraordinaria pietatis opera.

Quod si quis peculiarem aliquam
intercessionem ipsius *S.* Sancti, pro impe-
tranda sibi à Deo singulari gratia
desideraverit; utetur sequentibus,
S. iam usitatis alibi *Sanctum* invo-
candi, *S.* honorandi rationibus.
Ergat primo decem ferias sextas con-
tinuas, quarum quolibet ieiunio, cō-
fessione, *S.* communionem peracta,
transigat. Recitet secundò decies
Pater,

*Pater, decies Ave, & decies Gloria
Patri, in Ecclesiâ, aut ad altare san-
cto Apostolo consecratum. Offerat
Deo merita Sacti sui Patroni exhi-
bita ab eo per id tēpus, cūm is pro-
ximorū salutē deserviret. Oret pro
Ecclesiæ sanctæ publicis necessitati-
bus. Pro conversione infidelium, &
Catholicorum, eorum maxime, qui
obstinati voluntur in sceleribus;
præsertim si quos tales, in viciniâ
domūs, aut regionis fore continge-
ret. Pro animabus item in Purga-
torio, & pro singulis, qui sancto
huic Apostolo peculiariter se dedi-
cârunt. Quibus omnibus demissè id
subiunge, quod postulas, & roga de-
sideratam gratiam.*

*Per decem has hebdomadas con-
sultum erit. sæpius historiam vitæ
ipsius*

ipsius sancti inspicere; ut ad sequen-
tam heroicarum ipsius virtutum
exciteris; Et maiorem fiduciã con-
cipias consecuturæ gratiæ ex ipsius
intercessione.

Adverte, prædictas devotiones
usui etiam esse posse, cum gratias
agere volueris de beneficio non vul-
gari per intercessionem S. Xaverii
obtento.

Intentio.

Suscipe sancte Pater, omnipotēs
æterne Deus, ad laudē & gloriam
sacratissimi nominis tui & (hic ex-
prime propriam intentionem, ad
quam omnia huius diei opera, of-
ferre vis) omnia, quæ ego indignus
famulus tuus hodie sum cogitatu-
rus, dicturus, facturus, & passurus.
Hæc tibi ego Deo meo vivo, &
vero, omnia & singula, sive parva
ca sint,

ea sint, siue magna, in unione me-
ritorū vitæ passionis & mortis u-
nigeniti Filii tui Domini nostri
Iesu Christi, nec non sacratissimæ
ejus genitricis V. Mariæ, & bea-
torū Apostolorū, Martyrū, Con-
fessorū, Virginum, omniūq; tam
triūphantis, quā militantis Eccle-
siæ tuæ, offero: quorum precibus
meritisq; cōcede, ut hoc holocau-
stum in conspectu Divinæ Maje-
statis tuæ, cum odore suavitatis
ascendat. Per eundem Christum
Dominum nostrum. Amen.

Oratio ante studia ad B. Virginem.

O sedes sapiētiae Beatissima Vir-
go MARIA. Ô Tabernaculū Spiri-
tus S. Ô liber septē signaculis gra-
tiæ Spiritus S. obsignate, scripture
intus & foris Divini amoris peni-
cillo.

cillo in quo sunt omnes thesauri
sapientiæ & sciētiae Dei recõditi.
O Dulcissima spõsa Spiritus S. fac
quæso per Immaculatã Cõcepti-
onem tuam, ut linguam meã eru-
dias, atq; in labiis meis, gratiam
tuã benedictionis infundas. Im-
petra mihi intelligendi acumen,
addiscendi facilitatem, retinendi
capacitatẽ, interpretandi subtili-
tatẽ, loquendi gratiã copiosã, A.

Actus Contritionis.

Domine I E S U Christe, anima-
rum nostrarũ amator ardentissi-
me, qui præ nimia charitate tua,
nõ vis mortẽ peccatoris, sed ma-
vis ut cõvertatur & vivat; doleo
ex intimo corde meo, quod te
Deũ meum, atq; benignissimũ re-
demptorẽ offenderim, qui me us-

E

q; adeo

q̄; adeò dilexisti, ut pro me seruo
vilissimo, sanguinē tuū pretiosum
fundere, & mortē acerbissimam
subire dignatus sis. O bonitas in-
finita Deus meus, utinā te nunquā
offendissem, quia infinitē bonus
es, & super omnia cordis mei de-
siderabilia amabilis. Ignosce bo-
ne Iesu misericordiā petenti. Mi-
serere peccatoris, pro quo apud
Patrē tuū, vox sanguinis tui inter-
pellat. Ignosco & ego pro amore
tui, omnibus, qui me unquā offen-
derunt, firmiterq̄; statuo, univer-
sa deinceps peccata fugere, & ea,
quæ contra immensā bonitatem
tuā cōmissi, in amaritudine cordis
confiteri; ac te Deus meus pro-
pter temetipsū super ōnia amare.

Recollectio Horaria.

O IESU

O IESU, summum & omne bonum meum. Cur unquam te offendi? Ah verè pœnitet me ex intimis medullis, ideoq; vel maxime, quia tibi soli peccavi. Et quid jam agam? te æstimo, te unum amo super omnia, propter te ipsum, qui hoc amore meo, omniq; alio, sine fine dignus te.

*Actus Fidei, Spei, & Charitatis
ante Comm.*

Credo mi IESU, Te esse in hoc Sacramēto verū DEVM & hominem; in hac, & pro hac fide, mori sum paratus. Et cum hac fide Te suscipio. Spero mi IESU me aliquando visurū Te in gloria Tua. Amen amen Domine mi. In hac spe suscipio Te. Amo Te mi IESU super omnia quia sūma bonitas

es. In hoc & ex hoc amore susci-
pio Te. O Domine non sū quidē
dignus, sed quia hæc est bonitas &
dignatio Tua, Veni desidero Te
millies, desidero infinities, veni
& imple desiderium meū. Nunc tē-
pus est Domine ornare me meri-
tis, gratiis & virtutibus Tuis, &
omnium electorum Tuorum,
quia pauper sū vilis & abject^o ni-
mis. *Post Communionem.*

Mi Iesu portio mea Corpus tu-
um, portio Tua corpus meum.
Mi Iesu portio mea volūtas Tua,
portio Tua voluntas mea. O Do-
mine utinam totus transformer
in Te. O si sanguinē possim fun-
dere pro Te.

O Corpus Iesu à me sumptum,
immuta animā meam & corpus
meum

meum, transforma me, Christifica
me, Deifica me.

Geniu flectens dic 5.

LAVDETUR SANCTISSIMUM
SACRAMENTUM.

Affectus ad Christi Domini Vulnera.

O magnum mysterium! ô profunda
magna vulnera! ô dulcedo Divinitatis!
adsis mihi ad æternam beatitudinem ob-
tinendam.

Saluto Domine IESU Rosea, ac sua-
vissima vulnera tua, quæ suscepisti pro
me, in quibus descripsisti me. Salvete,
Salvete, Salvete, vernantes & salutiferæ
plagæ Redemptoris mei, & amatoris mei.

*Post mortem apparuit S. Xaverius egro-
vanti Mastrillo, in forma Peregrini, Nea-
poli 30. Ianuarii 1534. cumq; persanans,
hunc modum salutandi S. Crucem docuit in
hac verba. Ave lignum Crucis, ave Crux
pretiosissima; me totum tibi dedico in
perpetuum.*

E 3

OFFI-

OFFICIUM PARVVM
BB. TRIVM MARTYRVMI
JAPONENSIVM
IOANNIS, PAVLI, & IACOBI.
Societatis Jesu.
Ad Matutinum.

Momentaneū & leve tribulationis no-
stræ, supra modū in sublimitate gloriæ, æ-
ternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Domine labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudē tuam.

Deus in adiutorium meum intende.

Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

Fortes avete milites,
Quorum cruore lapones,

Et purpurascit inclytæ

Agex ferax Ecclesiæ.

Vestro hunc rigate sanguine,

Terramq; cordis aridam:

Fœcunda fructus proferat,

Quos horreis cæli inferat.

Antiph.

BB. Trium Martyrum.

Antiph. Iustorum animæ in manu Dei sunt,
& nō tanget illas tormētū malitiæ, visi o-
culis insipientiū mori, illi autē sunt in pace.

V. Nos autem oportet gloriari in Cru-
ce Domini Iesu Christi.

Per quē nobis mundus crucifixus est, &
nos mundo. ORATIO.

Deus qui Beatos Martyres tuos Ioannē,
Paulū & Iacobū martyrii gloriā deco-
rasti, cōcede quæsumus; ut quorum gloriæ
coronā in cælis veneramur; eorū fortitu-
dinis exēplū & passionis constantiam imi-
temur in terris, Per Dominum, &c.

Ad Primam.

Deus in adiutorium, &c. Domine, &c.

Hymnus.

O Lata amoris viscera!
O charitatis pectora!
Quæ non Tyranni vincula
Stringere valent, aut verba.
Per vestra, solvi, vincula,
Noxas rogamus criminum,
Mens ut beatis libera
Cæli fruatur sedibus.

Nos

Officium Parvum

Nos autem oportet gloriari, &c. ut supra.

Ad Tertiam.

Deus in adiutorium, &c. Gloria &c.

Hymnus.

AD carceres, ad iudices

Lati trahuntur Martyres.

In vinculis, in carcere,

Deum fatentur jugiter.

Confessione supplices

Vestra precamur Martyres.

Numen, quod ore credimus,

Nostri fateamur moribus.

Nos autem oportet gloriari, &c. ut supra.

Ad Sextam.

Deus in adiutorium, &c. Gloria &c.

Hymnus.

FAme premantur viscera,

Sitique fauces aspera,

Cæli tamen mens gaudiis

Solatiisque pascitur.

Sitim, famemque petite,

Manna supernum promite,

Vitæ perennis rivulos,

Desideratos fundite.

Nos autem

BB. Trium Martyrum.

Nos autem oportet gloriari, &c. ut supra.

Ad Nonam.

Deus in adjutorium &c. Gloria Patri, &c.

Hymnus.

Nares & aures impie
Tibi Tyranne tollito.

Mens verba Sponsi percipit,
Melosque gratum personas.

Vitæ relictis gaudiis,

Christo vocanti obtemperat :

Mundus vilescit, desipit.

Christusq; solus perplacet.

Nos autem oportet gloriari, &c. ut supra.

Ad Vesperas.

Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c.

Hymnus.

Gratam Deo se victimam,
In stipite crucis consecrant,

Ut veriores affectu

Christi sui sint principis.

Nobis supremo à Numine,

Constantiam deposcite,

Crucem ut feramus alicuius

Adusque finem fortiter,

Nos autem oportet &c. ut sup:

Ad

Officium Parvum BB. Trium Martirum.

Ad Completorium.

Converte nos Deus salutaris noster, & a-
verte iram tuam à nobis.

Deus in adiutorium meum intende.

Domine ad adjuvan: &c. Gloria Patri, &c.

Hymnus.

O Gloriosi Martyres,
Vestrum polorum Principi,
Cruore fuso spiritum,
Qui reddidistis ultimum:

Cor nostrum amoris spiculo,
Offerte Christo saucium,
In spiritu vitæ ultimo,
Opemque nobis mittite.

Nos autem oportet gloriari, &c. ut supra.

OBLATIO.

Hoc gratulamur carmine
Vobis triumphum Martyres,
Et purpuratam sanguine,
Vobis favemus lauream.

Vitæ peracto termino,
Vestro omniumque cælitum,
Ve perfrui consortio,
Nobis liceat in secula. Amen.

AFFE

JAGELLONICAR







